QVAE HOC OPVSCVLO CONTINENTVR

Oratio Ioannis Oecolampadii Theologi ad Clerum.

Ex Plutarcho Chæronensi De nota Pythagorica, qua hospitem Hirundinem recipi nolebant, Philippo Melanchthone Brettano interprete.

Lysidis epistola ad Hipparchū elegantiss. à Churrerio latinitate donata.

Ioannes Oecolampadius Chaspari Churrerio Schorndorffensi. S.

Absit,amicisS. Caspar,amiciciā inter nos,faustis ortā auspiciis,ullis aliqñ de causis rescindi.Q̃ si fieri posse suspicaris,uel amicū nondū satis excoctū ꝑstas,uel minus me nosti.Ludis ꝑinde ac lr̄æ nobis ingratæ fuerint tuæ.Erade suspicionem, aboleuit omne amiciciæ fœdus cui & colloquiū inuisum. Indignus familiaritate,q & salutationē odisse pōt,A multis,hoiem a brutis solo sermōe differre existimatū est.Feræ humana uoce māsuescunt,Serpentes ad insidias natū aīal,uerbis parēt.Homo hois salutationē ferre nō poterit? Q̃ si tale q̃d de me suspicari licet,uti necessitudinis iura ignorantē,exauthorādū cēse. Neq̃ ego te suspiciosum suspicari possum,sed lr̄as meas sic ambire cōiecto.Sancte receperim lr̄as tuas etiā munere gratiores fuisse tm̄ abest,ne exasperarint.Dona mercenarias dialesq̃,lr̄æ germanas ac solidas amicicias cōciliāt. Opusculū ære aliūde,amicicia nō nisi lr̄is parari poterat.Munus ob id unū minus gratū, quod deinceps nō ausim ex bibliopoliis Tubing.vr̄a ꝓcuratiōe libros sperare,ne emendicare magis q̃ emere uidear. Lr̄is nihil deerat,quare nō gratissimæ,Inciuile tū rat⁹,uel nihil,uel a nēie accipe,tui nois monumētū,& amiciciæ pign⁹ obuiis manibus excepi. Αἰθ' οὕτως κάσπαρε φίλος ὢν περὶ γένοιο, ὡς ἐμοὶ, ὅτι με τοῖον ἀγαθοῖσι γεραίρεις. Ab igratitudine alienior esse curabo ꝓ tuo munere,q̃ ea sit a iusticia.Iā q̃ arriserit calumnia e Luciano traducta,qs oīno enarraret? aut qs dicenti crederet? aut qs plausum ferret? tāta beatitate,tā fœlicibus lineis,loquentē exꝑssisti imaginē,tāq̃ romane,ut ne uel Musæ Capitolinæ romanius, Suo pro tua modestia te rubore suffundi,ego aūt ut apud Platonē est χαίρειν ἐκεῖνο, ὅσον δύναμαι, δύναμαι δὲ, ἐπαινεῖν μόνον Sed ne mutuū scabere uideamur,apud alios hæc agenda σὺ δὲ κατευοδοῦ. Ne oīno ingratus uidear,orōnem cras habēdam, a Brentio exceptā trāsmitto,post acutiora peripateticorū,& cultiora rhetorū,diuerte & ad nostra,tibi dicata est,par est,ut & tibi ingeniū illud meū tenue desudet, modo non ingratum sit. Vale.Ex Vuinsperg Anno M.D.XVII.

ORATIO AD CLERVM CASPARI CVRRHERO OECOLAMPADIVS ἀντιδώρων LOCO ID MVnusculi dedicat.

Sicut Populus, sic & Sacerdos.

EXPECTATIS forsitan Amici in Christo ut id quod cōcionatorii uidetur esse muneris, atq; per Esaiæ uaticinium multo ante demādatum, ut clamem & instar tubæ extenta uoce, si qua uideantur populi scelera annunciem, atq; ita ἀπροσωπολήπτως, ne cuiuspiam uel maiestate uel humilitate respecta, officii minus memor sim. Quemadmodū olim cū uel prophetæ suorum, uel apostoli gentium taxabant errores. Neq; hodie uel uitia, uel immania scelera populum, minus q̄ olim infestāt. Imo decrescente seculo incrudescunt flagitia, ægriusq; curanť, Quottusquisq; em̄ ueritatē libens auditť aut qs ἀναμάρτητος ὢν ut curet proditť Legim⁹ olim prophetæ labia calculo igneo a שרף tacta, ut ardentia & ignita uerba purgato loqueretur ore, is fuit Esaias. Alium in ciuitatem munitam, columnam ferreā, & æreum murum cōstitutum, ne quempiam formidaret, is fuit Hieremias. Alteri faciem obfirmatam adamantinam, & frontē silice duriorem, ne a domo exasperante, ad quam mittebať, trepidaret, is fuit Ezechiel. Nobis nihil talium, nec tamē tacendū, minus autem adulandum. Poterit enim, ut testis est γρηγόριος super Ezechielem, etiam non undequaq; innocens scelestos admonere, modo se cum aliis ut reprehendit, ita emendat. Neq; hoc est lapidem in alium iacere, id quod phariseis obiectū, imo sic monetur, ne quis in lapidem impingat. Hæc ideo p̄famur, ne si minusq̄ oportet in insectādis uitiis sistamus, aut laudibus recensendis procurramus, officii rationē neglexisse uideamur. Qui acria cupiunt, in laudibus. qui mitiora, in obiurgatiōibus requirant. Nos inter laudem & obiurgationem, docturi magis, q̄ ducturi transibimus. Occurrit aūt tam plebem q̄ κλῆρον mihi respicienti dignitatem, laudes, uirtutes, uitiaq; utriusq; animo perpendēti, propheticum illud כעם ככהן latumq; secū offert

diçendi campum. Attamen sine uestris precibus nihil fœliciter ausim. Proinde ut digna coetui uerba, bene salubriterq; faciam precibus obtinete.

¶ Enarraturi propositum oraculum, historicũ primo & germanum sensum reddemus, statimq; ad allegorias quæ in Christo sacerdote summo & populo eius aniaduertimus, nos quoq; uertemus. Apud Esaiam primum illud legit, mox & apud Oseã prophetam, iisdem uerbis, eodem sensu, eandẽ ob causam. Comminatur enim deus, nemini patrocinaturam in populo Israel exterminãdo, uel dignitatem, uel tenuitatem, æquus deus, & tã in remunerando liberalis, q̃ in damnãdo iustus, sicut sacerdotẽ bene agentem non irremuneratum, sic nec peccantem impune abire permittet, cum iuxta mali fuerint sacerdos & populus, pariter pœnam luẽt, unusquisq; suum portabit onus. Is historicus sensus est, nos in allegoria ludemus. Sed quis populus sit, quis sacerdos, dispiciendum primo. Christus ipse primus solusq; oim uerus, innocens, ultionis diuinæ auersator, pacis & fœlicitatis impetrator, sacerdos. De quo scriptũ. Tu es sacerdos in æternũ secundum ordinem Melchisedec, quem apud ueteres omnia sacrificia, cerimoniæ & ritus, in umbra sua effigiabãt, quem & nostra sacramenta, sanctius, efficaciusq; sua uirtute assistentem exprimunt. Quicquid uspiam sacrum, illius benedictione sacrum. Ipse summus pontifex, solus nomen dei fert in fronte, immo uere deus est. Solus sancta sanctorũ ingreditur, immo paradisum & cœlum nobis aperit, solius eius uestes tintinabulis tinniũt & malo granatis fragrant. Nam uestibus eius hoc est uirtutibus, quid odoratius? quarum odore inæscatæ uirgines in canticis, cursu continenti sectantur, quid item sonantius? quem eñi non mundi angulum uerba eius penetrarunt? solus ipse incensi sacrificium immolauit, solus redimere poterat. Diuinæ enim & humanæ naturæ particeps, sublimitate sua cœlũ tenet & terrã, solus innoxius & impeccabilis, superior infirmitatibus, non cõpati nõ misereri nescit. Is sacerdos est. Fœlix sub tali sacerdote populus. Populus aũt omnes sunt, quotquot suo redempti sanguine, eum receperunt, & in noĩe eius crediderunt, hoc est chri-

ſtiani om̃es,modo non ſint antichriſtiani.Ad omnes igitur ex æquo ſpectat huic ſubdi,decimas ſacrificiaq; offerre,quæ patri ille commendet.Nõ eſt quod alius in alium benefaciendi offi-cium reiiciat,nemo excuſatur,omnes religioſos eſſe oportet, omnes regale ſacerdotaleq; genus ſumus,ſi ἀρχιέρεως noſtri meritis & interceſſionibus fraudari nolumus.Sit ſicut ſacerdos,ſic & populus,hoc eſt,quas uidemus in Chriſto uirtutes, humilitatem,obedientiam,patientiam,manſuetudinem,charitatem,innocẽtiam,ſi ab eo agnoſci uolumus imitemur. Q; ſi hic gratia typum eius expreſſerimus,futurũ,ut in reſurrectiõis gloria,corpori claritatis ſuæ configuremur,ſitq; ſicut Sacerdos ſic & Populus.In hunc potiſſimum reſpiciamus, non in illum & illum eadem carne circundatum,æque mortalem,æque peccabilem. Ab optimo Chriſto ſolo,optima uiuendi regula ſumitur. De capite diximus,ad membra pergimus.Quemadmodum his diebus commemoramus,cœlos conſcendit Chriſtus,ut pro nobis patrem interpellaret,ac ſpiritus ſancti largiretur χαρίσματα,& anteq̃ abiret,ex omni populo elegit,quos ſacramentorum ſuorum μύστας gregiſq; ductores ac uicarios relinqueret,eos ſpiritus ſanctus & ſcientia illuſtrauit,& ardore charitatis perfecit, unũ eis præceptum Chriſtus in terris dederat,ut ſicut eſſet populus ſic & ſacerdos,id eſt,ne honoris gloriola inflati,quid arrogãtius ſuperbiuſue de ſe ſentirent.Ait enim,Qui maior eſt ueſtrum,ſit miniſter,& qui recũbit,ſicut qui miniſtrat. Nihil aliud hoc eſt dicere,niſi ne quis ſe ſuperiorem ob miniſterium exiſtimet.Iterum apud Lucam cum glorioſiores ob facta a ſe miracula redirent diſcipuli.Videbam,inquit,Sathanam tanq̃ fulgur de cœlo cadẽtem;Cuius exemplo ne quis ſupra alium ſe erigeret, deterrebat,Verſatur fortaſſis in humili plebe,cui altior in cœlis deſtinatus eſt thronus.Immo qñq; extra gregẽ & peccator eſt,cui repoſita in cœlo corona,cũ interim ſacerdos damnationi æternæ adiudicetur Neq; hæc ſola fuit æquabilitas inter eos, erant & omnia cõmunia.Et ſicut omnia membra ad eãdem hominis uitam conſeruandam contendunt,ita unuſquiſq; labore & exẽplo,non quæ ſua ſola,ſed & quæ aliorum,quæ dei curabat,con

ſpirantes pariter in unam dei legem, in unā ſeruitutem, in unā charitatem. Q̃ ſi & hodie omnibus ordinibus eccleſiæ id curæ eſſet, beatius ageremus. Sua ergo exiſtimatione non ſit altero ſuperior qui conditione & miniſterio parem ſe reputare debet Prouerbialiter dicitur. Regionem unam altera uix aſſis melio rem, commodis omnibus & incommodis compenſatis. Mittit alia aurum & balſami meſſes, ſed frugum penuria laborat. Alia frugum abundans eſt, ſed æris inops. Sic conditiones hominum collatæ, ſeſe uix aſſis precio mutuo excedunt. Diuitibus & honoratis curæ omnia amara reddunt, priuatis & inopibus tranquillitas moleſtiam minuit. Curarum ſolatium honores habēt ſacerdotes, obedientiæ lenimen ſecuritatem habet uulgus. Confer utrunq;, eritq; ſicut Populus ſic & ſacerdos. Verum nec hæc ſimilitudo diſſimili caret, nec diſſimile proportionibus, Vt enī eccleſiaſtica ἱεραρχία cœleſti reſpondeat, præfecturas diuina ſapientia, quam uarietas indicat, ordinauit, dum in populo alios in caput exaltauit, alios in membra ignobiliora ſubiecit, Non ab re, quæ ſacerdotis & quæ uulgi ſint munera hic referem9. Nō om̄ia quidem, ſed quæ ſacerdotum ſunt ad uulgum, & uulgi ad ſacerdotes. Sacerdoti cum plura præcipiat Paulus ad Timotheum, nec pauciora in DD. & patrum reſcriptis proponātur, Duo nos ſpectamus, eruditam ſcilicet, & abſq; ſcandalis uitam. Quid enim ædificabit qui angelico eloquio omnem ſanctarum literarum traditionem docet, nec manum fert ad aratra. Aut quid ædificabit qui ſanctitate cæteros præit, ſi deſit eruditio, & cæc9 ducatum profiteatur, quamuis ſi optio detur, nemo tam craſſi capitis eſt, qui nō bonum magis q̃ doctum eligat. Exemplis populus magis q̃ rationibus ducitur. Exempla mentibus hærent, uerba præterfluunt. De eruditione dominus apud euangeliſtā ait. Vos eſtis lumen mundi, De honeſtate uitæ. Vos eſtis ſal terræ. Dionyſius opera ſacerdotis tria ponit, purgare, illuminare, perficere. Rite non perficitur, de ueritate ſacramenti nihil loquor, niſi purgatio illuminatioq; præcedant, uix item quiſq̃ diuinæ ſcientiæ iubare illuſtratur, niſi purgatus ante fuerit. Amplectendus ergo literarum amor, ne cæcum animal, ut Hieron.

exponit,offeramus.Ignorantia in aliis culpam minuit, in sacer dote inexcusabilis est,ex cuius ore lex domini requiritur. Hu9 symbolum rationale in pectore legalis sacerdotis fuit. Ample ctenda est & uitæ sanctitas.Insulsa doctrina est quam uitæ hone stas non condit.Mirum qua sanctitate clerici enitere debeant, qui sacra quotidie,immo deum ipsum manibus contrectant. Tanta uirtutum consumatione auspicandum sacerdotium in sacris literis legimus,qua alii sub oculos æterni iudicis uocati, uitam finientes uix comparent. Signabatur id olim in summi pontificis uestiméto,cuius capitium fimbria obambiebat, qua lis in cæterarum uestium oris uisitur.Accedit ad hæc,quod uul go ueniale est & leuiculum,sacerdoti lætiferum est. Festuca in oculo laici,trabes in oculo sacerdotis, quanto puriores oculos pedibus congruit,ut clare uideant,tanto sacerdotes laicis.Hæc doctioribus non docendi gratia,sed exhortandi dixerim. Iam quid populum deceat exequamur.Hi dociles sunt & cádidi.Do ciles inquam,ut est apud Ioannem & Esaiam prophetam.Quid enim prodesset doctissimos esse sacerdotes,si nemo illis aurem præstaret.Quid prodesset,si medicus expertissimus & nó accer seretur,uel accersito non obediretur.Cæra formam non recipit non mollefacta,& nisi cor allatum fuerit nil proderunt sacerdo tum uerba.Respondeat ergo docilitas populi sacerdotum sci- entiæ.Sed nec censuræ candor uulgo desit.Ad aliena enim car péda uitia, & nostra tegenda, procliuiores sumus. Sed nequa- quam bonus filius,quem patris delectat obtrectatio.Bona opa si proponantur,rarus est qui animo percipiat aut imitetur. Sta tim ut fœtidum quid oboluerit instar porcorum in eo magis q̄ uiridario oblectantur.Esto optimus quis sit, non illi parcit. Nemini plures æmuli q̄ optimis,Ná quot Christus ipse passus est & patitur? Sed quid refero? cum euangelico præcepto do- ctrina eorum qui sedent in cathedra Moysi magis q̄ uita obser uanda sit.Esto mali sint,Nunquid & Heliam coruus pauit.Quid refert,aqua per plumbeos uel argenteos fluat canales,sui domi ni damno quisquis stat aut cadit.Iudices cæteris sunt super ter ram,sacerdotibus suus in cœlis.Quod Constantinus Imperator ingenue dixit.Si uiderem peccantem sacerdotem,pallio tege-

rem. Non hæc excusans per omnia, loquor, sed moneo ne anti-qui hostis insidiis circunueniantur. Meminerint magis officii sui, pedum esse ambulare, oculorum iudicare. Sæpe Laicus phanatico errore circunactus, nisi doceretur, bonum ex se opus, peccatum existimaret. Addo si quem manifesta flagitia damnant, misericordia dignior est & oratione. In maiori dignitate constituti sunt fateor, sed eandem carnem, eundem sanguinem circunferunt. Quid? si ex delicto populi, sacerdos & ipse sordes cõtraheret. In oraculo nostro populus præponitur, sacerdos sequitur: Vt Gregorius enim testatur. Sanctus populus sanctum regẽ sortitur. Hæc de laudibus & officio populi & sacerdotis. Iam relabimur ad priorem illum & germanum sensum, & utinam deplorationem commode omittere possemus. Sed heu Sicut populus, sic & sacerdos. Omnes corruperunt uias suas, & in angelis ipsis inuenta est prauitas, Ecce enim quam paucis curæ est, quo modo animam suam diuina scientia illustrent, quæ nõ ex tessatis aũt lusoriis chartulis, nocturnis diurnisq; ingurgitationibus petenda, non hanc concubinæ adiuuant, nõ secularia negocia promouent. Bonæ famæ cura q̃ negligatur, omnino dicendi copia mutum me facit, Satis scurrilia uerba, turpia, inepta, docent, satis uestitus, arma, temeritas, oscitantia in bonis, ardor in mala, uix dignosces clericum a prophano ex uestitu, aut uerbis aut modestia morum. Vereor ne adhuc a senioribus egrediaẽ iniquitas, Vtinã ne peiores essent clerici laicis, sed peiores esse manifestum, si uel eiusdem rei sint criminis. Sic sacerdos sic & populus. Huius ubi docilitas, ubi iudicii puritas? q̃ suis fabulas aut spurciloquentias q̃ salutare euangelicum libentius audiũt, quanti audita faciant, sequentia opera demonstrãt. Multa aliquot obmissa, post admonitionem ardentius patrantur. Vera misericordia, humilitas, mansuetudo, pax, charitas, ob duritiã cordium persuaderi nequit. Quid referam? q̃ & sacerdotes erudire conẽtur, & de censura nõ modo sermonem sibi usurpare, sed & uim inferre quærunt, immunitates infringunt, decimas dolose ꝑsoluunt. Sed quis omnia enarraret? summatim. Sicut populus

sic sacerdos,siue peccata,siue supplicia spectes.Causa infœlicio ris nostri seculi non longe quærenda,hæc est enī. Nec populus sacerdotē curat,nec sacerdos populum.Nec sacerdos agit sacer dotem,nec populus populum.Vt receptui canam, Agat sacer- dos sacerdotem,scientia prosit & exemplo.Populus item popu lum,ut obedienter docilis sit & candidus. Sic harmonia quadā membra ecclesiæ inter se respondebunt,eritq; Sicut sacerdos, sic & populus.Et Christus ille sacerdos maximus malis iudex su peruenturus,bonos ita tutabitur,ut innocenter hoc seculo trāsi to,æterna digni inueniantur. D I X I

PHILIPPVS MELANCHTHON Brettanus,Bernardo Mauro S.

PLutarchi conuiualem quæstiunculam,qua sacras aliquot Pythagoræ notas, ceu ἱερογλύφα interpretatur, latio ,ut- cunq;,uindicaui. Plane αὐτοσχέδιον προοίμιον quo aliis, quæ fre quens in manibus habeo,præluderem. Eam tibi Bernarde ele gantiss. dicare uisum est, & illi quo iam tyro exerceris, decla- mandi aptam generi,siue græce,siue latine uoles, & obeundæ adulescentiæ tuæ necessariam παραίνεσιν. Quid enim tam præ stes oportet,quam τὸ τοῖς ἀγαθοῖς καλῶς ξυνομιλεῖν,ut Platonis utar uerbis,hoc est ne qua uspiam Hirundinum trahare consue tudine.Mihi crede,nihil est ualidius ad fingendos mores,ad for mandam eruditionem,honesto bonorum commercio. Memi nisti,quos ad Dionysium uersiculos Theognidis scripsit Dioge nes,omni uulgatos ut inquit Græciæ.

ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἄπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι ἢν δὲ κακοῖσι
συμμιγῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον

Vale Tubingæ.

EX OCTAVO CONVIVALIVM QVAESTIONVM LIBRO PLVTARCHI CHAERONENSIS

De Nota Pythagorica, qua hoſpitem Hirundinem recipi nolebant, Philippo Melanchthone Interprete.

SYLLA Carthaginenſis aliquanto poſt tempore, quom Romam uenirem, liberaliter me, ſalutatoriis, ut uocant, epulis excepit: Quibus amicos, cum plæroſq; alios, tũ maxime Leucium quendam Tyrrhenum moderati Pythagorici diſcipulum adcerſerat. Is cum forte fortuna Philinum noſtrum animatis agnoſſet abſtinere, quod pro ordinis ſtudio coniicere licet, in Pythagoræ mentionem prorupit. Inter cætera Locrenſem illum, iuxta uulgi opinionem, eſſe negauit. Tyrrhenis adſeruit, apud hos enatum, alitum, eruditumq;, indicio ſymbola eſſe, qualia ferme ſunt.

Cum lecto exurrexeris, ſtragula turbato
Ollæ ueſtigium in cinere, confundito
Sarum ne tranſilito
Hirundinem in contubernio ne habeto
Adunca unguibus domi ne nutrito.

Iſthæc ait cum Pythagorici paſſim & ſcribant, & doceant, ſoli tamen re ipſa Tyrrheni obſeruant, aſſiduo iam olim ac iugi ſancita ſtudio. Hiſce ab Leucio dictis, in primis quod de Hirundine uberius diſputarat uidebatur abſurdum. Auiculam innoxiam, dein & humanæ ſocietatis nõ expertẽ, cum eximiis illis ſæuicia, ſanguiniſq; libidine, animantibus quibus adunci ſunt ungues conferri. Neq; enim recte Leucio probabantur, qui ſcitum hoc ſymbolum alio referebant, in conſuetudinem uidelicet uitilitigatoris cuiuſpiam, criminibus, infeſtiuo murmure, conuictorem exagitantis. Is enim uel picis, uel perdicibus, uel gallis commodius notari poterat, auibus multo maxime garrulis.

Quandò & hirundini cum hoc garriendi stridendiq; perpetuo morbo nihil est comune. Tum Sylla Carthaginensis, id esse com menti. Ablegari ab domo familiariq; conuictu Hirundinem prodigii causa, quod uitæ sanguiniq; cognato ferale habent. Terei familiam ferunt, partim fuga sibi consuluisse, partim hor renda quædam & nepharia passam, iam nunc quoq; Daulidum nomine celebrari. Gorgias Sophista contra eminus ad se pro-perantem contuitus Hirundinē, Nec admodum, ait, hæc quoq; bella. Age num id prodigii non est stridulæ illi lusciniæ comu ne. Quam eidem obnoxiam tragœdiæ domo non reiiciunt. Re cte, inquam ego, & hæc ad rem faciebant Sylla, Verum qua rati one, quæ aduncis sunt unguibus non admittantur, primum spe cta, dein ut eadem habeatur ominosa Hirundo. Carnem depa sci solet, uenaturq; sacras illas Musis, canoras cicadas. Humi uo litans oberrat, exiguas captat bestiolas, authore Aristotele. In super una nobiscum uersari solita, immunis nostro tecto utis, neq; quidquam parit commodi. Quom contra ciconia, neq; te gulis tuta nostris, neq; uspiam aut facultatibus, aut studio adiu ta, officio tamen sese, ceu mercēde comunis impensæ, in terram collato redimat. Nam quæ uitæ hominum aduersa animantia insidiantur, serpentes, bufones absumit enecatq;. Hirundo ue-ro nostra tantisper abusa ope, pullo edito ac educto auolat in-grata, deinde & in recessus quosdam desertos, ignorabilis. Iam quod grauissimum uidetur, animantium duo sunt omniū quæ nostro utuntur hospicio Musca & Hirundo. Quæ nulla queunt arte cicurari, neq; ullo nobiscum officio aut ductu comunicant Musca ne molesti quidquam patiatur prehensari horret. Hirun do suopte ingenio exosa hominem, adeo diffidit, ut & mansue fieri non possit, & nihil non suspectum pauitet. Quæ, siquidem non adcurate nimium, nec quasi ad regulam dispensa uolo, sed feriendi referiēdiq; studio in medium collata. Certemus enim mutuis licet sententiis, opinor qui cauet Hirundinem infidum, leuem, ac ingratum conuictorem, non quenuis pro tempore oc cursantem, mensæ tecti ac reliqui domestici cōmodi gratia sub repentē familiari consuetudine dignabitur. Hæc cum dixissem

ἄπυσος legi nō uano du ctus ar-gumento.

ſat mihi uerborum uidebar feciſſe. Nam & reliqua pene ſymbola, moralibus argumẽtis expedieram audacius. Interpellat Philinus. Ollæ ueſtigio turbando ſignificari ne quam priſtinæ iræ indicem notam in animis noſtris relinquamus. Quin cum efferbuit, omnia continuo pacanda abolendaq; iniuriæ monumenta, Iam in confundendis ſtratis nihil eſſe ſecreti quibuſdam uidebatur, ſed pudorem tamen & thalami reuerentiam indicari differebatur. Ab amico non auferendum onus. Quid aliud? quã adiutare laborantem, nihil ocio, nihil inertiæ dandum. Leucius interim cum hæc diſceptantur, neq; commendans, neq; reprehendens quidquam, agit ſilentium. &c.

FINIS

CHASPAR CHVRRER LEONARDO patruo ſuo Theologiæ Doctori. S.

Lyſidis hanc ad te epiſtolam è græco in latinum tralatam, & ſtudiorum meorum, & ſpei de me tuæ rudimentum, mitto. Argumentum eſt quod maxime tute uindicare tibi debeas, Philoſophiæ Pythagoræ ſumma, ὡς ἐν ζωτίμῳ comprehenſa, & quaſi in tabulam, ut fieri poteſt elegãtiſſime delineata. Tum & fex ſophiſtarum loquacium accuſata, ne ſe illi temere iuuẽtus credat, græco uſus ſum exemplo PHILIPPI MELANCHTHONIS. Itaque non operam modo probari meam tibi uolo, ſed illius etiam in me pulcherrima ſtudia. Vale. Tubingæ.

LYSIDIS PYTHAGORAEI EPISTOLA AD HIPPARCHVM A CHASPARE Churrerio è græco ſermone in latinum traducta.

Lyſis Hipparcho.

POSTEAQVAM Pythagoras hominũ fato defunctus eſt nequaq̃ in animũ induxi meũ fore,ut familiaria ſcholæ noſtræ cõtubernia diſſiparent. Quãdo uero ꝑter ſpem ſimul ac naufragi eiecta alicubi in deſerto mari merce,alius alio forte fortuna traducti,diſperſi ſumus,ſanctũ fuerit meminiſſe illius me rationes pias prorſum ac diuinas Neq; uero quo cõia faciã ſplendida ſapiẽtiæ bona, iis qui neq; ſomnio defecati ſunt animos. Non enim fas eſt cuiq; porrigere obuio,q̃ tãto ſtudio certatim bonis parta ſunt. Vt neq; prophanis ſacra Eleuſiniorum ſilentia aperiunt,æque iniqui ac impii utriq; ſunt,qui hæc commiſere. Primum uero deputare lubet, quantum dimenſi temporis degimus,in detergendis maculis, quæ pectorib. noſtris inoleuerant. Dũ quinq; exacti ſũt anni habiles diſertationum ipſius facti ſumus. Vt enim tinctores ante ſolent purgare telam quam inficiant,ut minime exoleſcentem panni fucum imbibant,& qui non facile diſpereat. Ita uir diuinus inſtruxit philoſophiæ initiatos,ne ullius eum ſperata fallerent bona. Neq; enim adulterinas uenditabat rationes, neq; laqueos,quib. plæriq; ſophiſtarum iuuentutem innectunt,nihil frugi cauſari ſoliti,ſed diuinarum humanarumq; rerum ſcientiam præ ſe ferebat. At plæriq; cum habitum quendam & fucum doctrinarum Pythagoræ referant,admiranda quædam pollicẽtur,imbuentes neq; decore,neque ut conuenit adoleſcentiam. Ideoq; duros ac impudentes auditores faciunt turbidis morib. ac audaculis,contemplationes liberales miſcentes. Vt enim ſi quis in puteum profundum cœni plenum liquidas ac puras un

das immiserit, id solum effecit, ut & turbaretur cœnum, & aqua dispereat, ita illorum est ratio, tales talia docent. Sunt enim circum præcordia spelæa alta quidem, & frequẽtia, eorum qui nõ sunt auspicato initiati. Ea omnem cultum, & quidquid humanitatis ac rationis capax est, obumbrant. Irruperũt in hosce saltus omnis generis uitia, depascendi ac uastandi causa, ne quid forte disciplinarum ac honestatis insideat. Nomiauero matres uitiorum, Incontinentiam & Cupiditatem, utriq; multa soboles. Ex incontinentia propagata, Incæstus, Ebrietas, Stupra, Libidines præter naturam, Ira, Furores ad occidionem usq; ac crucẽ adigẽtes. Iam enim plærosq; libido adeo uesana conscelerauit, ut neq; matribus neq; filiabus abstinuerint, uiolatisq; legib. coegerit, patriam, parentes, principes eiectos imperiis, tanq̃ mancipia, in extremam perniciem distrahere. Cupiditati hæc proles est, rapinæ, parricidia, sacrilegia, ueneficia, & q̃cunq; his cognata sunt. Primum itaq; spelæis hisce purgatis, tales oportet affectus igni ferroq; excidamus, omniq; paratu bellico, erepturi clade mentes natura liberas, Tum inseri quiddam frugis melioris debet. Hæc tu heus Hipparche magno studio quondam didicisti, neque custodiisti tamen. O præclare. Posteaquam Siculi tibi luxus degustati sunt, quibus deuinci temere non debebas. Iam multi quoque aiunt passim te secreta sapientiæ uulgo prodere, id quod citra Pythagoræ instituta facis, qui legatis testamento Damæ filiæ commentariis suis, cauit ne cui extra familiam traderentur, Quos cum illa multo precio uendere posset, noluit. Paupertatem & patris extremam uoluntatem auro rata preciosiora. Feruntque morientem Damam Vitaliæ filiæ idem mandasse. Certãt mulierculæ nobiscum, Nos uiri haud ingenue ipsius magistri mandata colimus, sacramenti nostri transgressores Gratum mihi fuerit, si te emendaris, sin aliter, ne uiues quidem nobis. Tubingæ,

Hagenau apud Thomam Anshelmum
Anno M. D. XVII.